

*Legerat huius Amor titulum, nomenque libelli:
Bella mihi uideo, bella parantur ait.*

Alter membranulae imprimebatur in auersa uoluminis parte, et nomen auctoris, et libri argumentum continens. Huc pertinent illa Ouidii L. I. Trist. Eleg. I. cum de Bibliotheca, cui liber Tristium inferendus erat, ita canit.

*Cetera turba palam titulos ostendit apertos,
Et sua detecta nomina fronte gerit.*

Loquitur de titulis apertis, et detecta fronte. Solebant namque ueteres libros indumento quodam induere, ut a squalore, et puluere uindicarentur. Vnde Ouidius loco citato ita scribit.

*Vade, sed incultus, qualem decet exulis esse,
Infelix habitum temporis huius habe.*

Nec Te purpureo uelent uaccinia succo:

Non est conueniens luctibus ille color.

Clarius Tibullus

Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum.

Ceterum, uti libris ornandis generatim studebant, ita nec eorum aliquid omittebant, quae ad tituli speciatim ornatum facere poterant. Literae enim aureae plerumque erant, et ipsa membranula purpureo colore inficiebatur. Quod iterum confirmat Ouidius loco plus simplice uice laudato.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur

Cum quo conuenit Martiali Lib. III. Epigr. II.

Et cocco rubeat superbus index.

V. Idem imitati sunt uetustiores Christianismi Doctores, quos Patres uulgo appellamus. De Clemente Alexandrino Eusebius Lib. VI. H. E. c. XIII. commemorat, octo ab eodem confectos esse *σρωματέων* libros, *οὓς καὶ τοιαύτης ἡξίωσε προγραφήs. τίτου φλαυίου κλήμεντος τῶν κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν γνωστικῶν ὑπομνημάτων σρωματέιs.* Idem Lib. V. c. XX. ordine recenset inscriptiones, quas suis praefixit libris Irenaeus. Has quidem non adeo plene enumerat, neque, an suum appuerit Irenaeus nomen, diserte refert. Quod tamen factum esse

esse